



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

De intellectu agente. cap. 7.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ra illa ( est autem intellectus & ipse, quem-  
admodum intellectus. Vbi enim materialia  
dixit intellectus potestate esse, non intelle-  
ctus; intellectum autem facultatem esse sine  
materia: hunc repetere libuit, quasi ultimam  
solutionis clausulam, intellectum quoque esse  
se: Quoniam ex immaterialium oppositione  
& explicatione facta manifestum id iam appa-  
rebat; immaterialia omnia seipsis intellectus  
esse actu; atque in illis intellectum & intelle-  
ctibile idem esse. Neque huius alia est ratio;  
quãt quod immaterialia sunt. Sic enim & actu  
sunt, & in seipsa redire possunt.

DE AGENTE INTELLECTU.

CAPVT VII.

TEXTVS.

Επειδ' αρα εις απαντην υσσει οτι η το υλο, υλη εγε-  
νησθαι. οσο εστιν παρτα διωδμει ομνη, ετραν δε, το  
απονη, ποιητικον, η ε ποιει παρτα, οσην η τυχον αεσ τω  
υλο παρτα. ερα γη η ε τη υλη οη ετρα τω τω  
διαγεγς.

*Text. 17* *Iam vero vt in omni natura quidpiam est, alie-  
rum quidem vnicuique generi materia. hoc autem,  
quod illa omnia potestate, alterum autem causa est  
efficientis, cuncta efficiendo. Quomadmum ars ad  
materiam affecta est. In anima quoque differentias has-  
ce inesse esse.*

COMMENTARIVS XCV.

Postquam de intellectu vt potestate dicitur, **D**  
aut habitu; hoc est vt operari potest; aut  
potestate prima & remota ac essentiali; aut se-  
cunda; propinqua; & accidentaria, nihil tamen,  
actu operatur; hactenus differuit Philosophus:  
id quod consequens erat, deinceps profequitur  
de intellectu agere vt operatur. Itaque si so-  
lum excipiam Alexandrum, qui ποιητικον υλο &  
ενεργεια seu ενεργεια, intellectum agentem &  
actu distingui voluit; de nomine fuerit questio,  
non de re ipsa: siue de intellectu agente cum  
Latinis Interpretibus, siue de intellectu actu  
cum Themistio & Philopono, siue de intellectu  
substantiali & apud seipsum manente cum Sim-  
plicio dixeris. Triplicem enim omnes intel-  
lectum nominant; idemque est, qui διωδμει, seu  
potestate à Græcis dicitur, à Latinis patibilis, à  
Simplicio imperfectus vocatur: idem, qui ετρα  
habitu & perfectus, idemque ενεργεια, seu actu  
agens & substantialis & apud seipsum manens,  
non ad extra progrediens. Etenim intellectibus  
formis instructus est optimè atque exornatus  
per intellectum habitu, quibus in seipso ope-  
ratur & contemplatur. Quare obiter in hac  
prima explicationis ingressione intelligitur,  
quid tandem sit intellectus agens: tamen si de  
hoc pluribus dicendum erit.

*Intelle-  
ctus tri-  
plex.*

*Intelle-  
ctus  
agens  
quid.*

Nunc ea, quæ à Philosopho traduntur, Phi-  
lopono libuit in decem omnino membra con-

**A** cidere. Sed ad tria capita pertinent vniuersa.  
Primum cum inesse nobis ostendit. Alterum,  
quis illius sit vsus, quæ utilitas, quod munus,  
docebit. Tertium naturam aperiet. Præter in-  
tellectum potestate agentem quoque aliquem  
intellectum nobis inesse hoc argumeto demon-  
strat. In omni natura, quæ interdum est pote-  
state, interdum actu, quidpiam sanè est velut ma-  
teria ex qua fieri possunt ea omnia, quæ in il-  
lo genere considerantur; & aliud quidpiam ve-  
lut efficiens, quod illa facere potest. Illud po-  
testate est, hoc actu. Igitur in anima quoque,  
quæ interdum potestate, interdum actu existit  
ad intelligendum, vtrumque hoc inesse oportet:  
& cum ostensum sit inesse intellectum quæ-  
dam potestate ad intellectus omnia suscipien-  
da, velut omnium materiam; alium item neces-  
se est esse, velut illorum omnium agentem at-  
que intellectum è potestate traducentem ad  
actum.

*agen-  
tem in-  
tellectu  
nobis  
in esse.*

**B** Quo loco etsi minimè à Simplicio adno-  
tatum fuisset, manifestum erat, non propriè ma-  
teriam aut efficientem causam in intellectu as-  
feri; neque eodem modo, quo in naturalibus  
& artificiosis rebus. Iam enim probatum est  
intellectum immaterialem esse, intellectuonem  
que diuiniorem omni motu operatione. Sed per  
quandam similitudinem & analogiam. Quem-  
admodum enim intelligendo dicitur pati; non  
simili, sed meliore passione; eodem & potesta-  
tem, & materiam, atque agentem causam ha-  
bere affirmatur. Quare id, quod additur (vni-  
cuique generi) postquam naturam omnem no-  
minasset; aut de singulis rebus naturalibus sub  
illa generali appellatione contentis, intelligen-  
dum est; in genere scilicet animalium, in gene-  
re plantarum, in genere elementorum & misto-  
rum corporum materiam esse quamquam pote-  
state ad illa. Aut credendum, analogiam illam si-  
gnificare, qua non eodem modo, sed cum di-  
ueritate, in singulis reperitur materia; in sublunari-  
bus, in celestibus, in anima.

*In in-  
tellectu  
vt ma-  
teria est  
effici-  
ens cau-  
sa no-  
minen-  
tur.*

**C** Porro argumentum hoc partim exemplo &  
inductione aliorum, partim efficaci & necessa-  
ria ratione nititur. Exemplum atque inductio  
generalia sunt & cuncta planè complectuntur;  
tum ea, quæ natura constant; tum ea, quæ  
arte. Itaque cum in omni natura ita esse accipit,  
naturæ nomine anima sola intelligenda non est,  
vt Philoponus credidit: sed cum Themistio,  
Simplicio, atque Auerroè naturales res omnes,  
in quibus principium motus est & quietis. Tum  
quia huic naturæ statim artem subiungit; artem  
autem non cum anima, sed cum natura propriè  
dicta; eaque arte, cum iis, quæ natura constant,  
mos est Philosopho copulare. Tum quia minus  
generale, minusque efficax ac manifestum fuisset  
argumentum ex cæteris solis animalibus du-  
ctum, cum ex tota planè natura liceret duce-  
re. Nam in 2. Phylis. lib. duplicem in rebus  
naturalibus demonstrat esse naturam, materiam  
& formam; illam patiendi & suscipiendi, hanc  
agendi principium: aliusque pluribus in locis ef-  
ficientem causam tradidit, quæ id ex subiecta  
materia possit efficere, quod ex ea fieri aptum  
est. Eodemque modo res habet in artificijs. Ex  
animalibus autem nescio quale argumentum  
poti possit. Quamuis etiam plures eorum sint

*E*

species, vna tamen in illis communis anima sentiens. Quare si ex hac sumere argumentum voluisset, non dixisset (in omni natura) de vnica sola anima loquens: in hac quippe sola passionem posuit & actionem, cum sentire dixit pati quoddam esse & alterari: sed principium huius actuum, à quo sensus reducat ad actum, non in ipso animali, sed in externo obiecto esse prodidit in tex. 59. superioris libri. Immo cum eo loco inter sensum & intellectum hoc posuerit discrimen, quod principium agens in sensu sit extra, in intellectu intra; quomodo nunc à simili sumeret argumentum? Oporteret aut in sensu quoque agentem sensum præter patientem ponere, aut intellectum quoque patibilem ab obiecto externo ad intelligendum duci. Quamquam hæc argumentatio aduersus eos potissimum valet, qui agentem intellectum vim animæ ponunt à patiente distinctam. Quod si facultatem eandem dicat esse Philoponus, diluetur facilius, vt post exponam: sed priores inter argumentationes stabunt.

Aut igitur animam à natura distinguit; triaque facit entium genera, naturalia, artificiosa, & animata: aut potius naturam dicens materiam & formam, naturalia intelligit materialia omnia entia; animam autem, qua intelligimus & sapimus; de qua agit, quamque cum materia rebusque cæteris impermistam esse antea docuerat; & idè genus entis à cæteris distinctum. Triaque facit entium genera, naturalia omnia materialia, (propterea in omni natura dixit) artificiosa, & intelligentem animam; atque ex duobus prioribus de tertio ratiocinatur.

In abstractis non est intellectus agens.

Solam autem intelligentem animam ex toto immaterialium entium genere accepit; quoniam abstractos cæteros intellectus actu semper esse putauit, nunquam potestate; & idè simplices & indiuiduos, minimè compositos ex hac duplici differentia, patientis & agentis. Quam ob causam verissimè Simplicius dixit, vocem illam (*γένεσις*) non fuisse communis vsurpatam pro omni *οὐσία*, & substantia, quemadmodum aliàs vsurpari solet. Non enim in omni substantia agere adest & pati; & aliquid vt materia, aliud vt efficiens. Sed pro ea sola natura, quæ motus principium est & quietis: hoc est pro naturalibus entibus, in quibus hoc principium inest. Atque ita obiectio cessat Augustini Niphi aduersus Simplicium. Intellectui autem nostro vtraque illa inest differentia. Quoniam cum natura sua sit potestate, omnibusque careat intellectibus formis; agente aliquo indiget, à quo reducat ad actum formisque omnibus exornetur. Etenim in omnibus aliis, quæ potestate constant, ita cernimus euenire; tum in natura, tum in arte; vt quod est potestate, à quopiam actu existente fiat actu. Nam nisi agens naturale adsit, quod formam ex materie gremio educat; vel artifex, qui eam inducat, & quodammodo imponat; nullum inquam neque naturæ, neque artis opus fiet. Quare potestas illa & aptitudo inutilis fuerit, superuacanea, frustraque ac temerè indita rebus; quæ nullum vnquam actum, nullum opus consequutura sit.

Huc Themistij etiam ratio spectat; intellectum nostrum imperfectum initio esse, sicut & naturalia cætera cum primùm gignuntur: nihil

autem à seipso perfici, sed ab alio: itaque præter patibilem intellectum adesse quoque agentem oportere, à quo perficiatur, expoliaturque. Hæc nimirum efficax est ac prorsus necessaria ratiocinatio; qua philosophi argumentatio nititur quæ à potestate antea posita in intellectu ad actum progreditur; aliquid actu ostendens in eo esse oportere, quod potestatem illam excolat & perficiat.

Cui si obiciatur, eadem probari posse in sentiente quoque animæ parte præter sensum, qui patendi facultas est, agentem alium esse; si vera sit illa propositio, in omni natura & entium genere quidpiam est vt materia, & aliud vt agens. In promptu fuerit responso. Principio namque non eo intellectu loquutus est philosophus, quasi in eadem re voluerit horum vtrumque inesse. Nam neque in natura ita res habet, neque in artibus. In natura lignum & ignis & omnino materia & efficiens causa diuersa entia sunt. Etm artibus aurum, æs, aut lapis; & artifex, qui ex illis quidpiam efficit; magnopere sanè natura differunt. Sed vniuersè, & generaliter affirmantur cuius potestati patendi respondere virtutè agentem; si non in eodè ente, in eodem certè entium genere; in natura potestati patendi materie vim item naturæ agendi; in artibus materie ad artificium quodpiam idoneæ scientiæ ac peritum operis illius artificem; ac demum in intelligente anima intellectui patibili intellectum agentem. Quare in sensuum quoque genere adesse agens oportet quod sensum ad patiendum aptum permoueat atque afficiat; illud autem est sensus obiectum, quod agendi vim habet. Idem de intellectu dici non potest. Tum quia ipsum ostensum est impermistum esse, nec quidquam cum cæteris habere commune; & idè ab externis omnibus obiectis impatibile esse: dum verò seipsum intelligit, quoniam modo à seipso pateretur? Vtramque igitur hanc virtutem, quæ in cæteris diuisa est ac separata, vnitam esse & collectam in intellectu necesse est. Idque rationi perquam consentaneè. Si quidem ea, quæ in inferioribus dispersa sunt, in superioribus & perfectioribus entibus vnita & coniuncta reperiuntur.

Propterea verissimè dicebatur in tex. 60. superioris libri, in nobis esse intelligere quando volumus, sentire autem non item. Nimirum, propter duas causas. Altera est obiectum; quod in intellectu intraneum esse potest, scientiarumque habitibus plerumque continetur: in sensu semper extraneum est. Altera est agens causa. Nam intellectus agens in nobis ipsis continetur: id verò, quod sensationis actuum est, illud ipsum est extraneum obiectum aut certè sensus non sine illo.

Itaque (licet duo tantum commemoret philosophus) vt in cæteris, tum natura; tum arte constantibus, hæc adsunt omnia, materia, quæ ad formam potestas est; forma, quæ in materia suscipitur, eamque perficit; efficiens causa, quæ formam illam producit; ac demum compositum, quod veluti ens perfectum ex materia & forma existit. Ita in intellectu nostro hæc ipsa consideranda sunt. Est enim intellectus patibilis vt materia & potestas ad intellectum omnia; hæc sunt formæ, quæ in eo suscipiæ perficiunt eum & exornant;

exornant; adest intellectus agens, qui eas ex prioris intellectus potestate educit; denique ex intellectu patibili formique intellectibus ens exitit compositum in intelligentium genere perfectissimum.

Digressio xxx. Quid sit intellectus agens.

D Vas ob causas ad agentis intellectus naturam constituedam digrediedum mihi esse hoc loco cenleo. Primum quonia interpretes Gracos tum digredientes, tum inter se digladiates video. Deinde ne subsiquens interpretatio laborare atque huc illucque temeret impelli ac nutare sepe cogatur. Duo autem praestanda mihi sunt. Tum veterum peripateticorum sententia diligenter ac fideliter commemoranda. Tum quid vero magis consentaneum videatur, constituendum.

1. Que Theophrasto fuerit de intellectu sententia.

ERgd vt eos mittam, quos Themistius sensisse commemorat agentem intellectum primas illas propositiones esse, que ceterarum in nobis cognitionem pariunt. Nam ea, que de hoc intellectu ab Aristotele traduntur, cum esse diuinum, impatibilem, immortalem, sempiternum, separatum, substantia sua actionem; propositionibus illis nullo modo conueniunt. Que Theophrasto fuerit de intellectu sententia, ex libro de phantasia & intellectu Prisciani que commetatione licet colligere. Fuit autem hac. Agentem intellectum anime virtutem non esse, sed abstractam prorsus substantiam. Sic enim ratiocinatus fuisse videtur. Quonia intellectus immaterialis existit, perinde iudicandum de illo est, atque de immaterialibus ceteris. Sic enim Aristoteles prodidit. Iam in immaterialibus idem est, quod intelligit, & quod intelligitur; id est intellectus & intellectibilis forma. Siquidem ipsa seipsis per suam essentiam intellectibilia sunt: neque vllibi potest esse diuisio. Quare quidquid materialium quoque separatur a materia, tum intellectibile actu, tum intellectus statim euadit; hoc est tum intellectibilis forma, tum intellectus. Porro ex materie consortio priuatio nascitur: que igitur immateriales forme sunt, priuatione carent. Itaque vita formique plenae existunt. Immo idem cum formis; cum ipsamet intellectibiles forme sint. Cum ergo intellectus omnis immaterialis existat, eiusmodi erit intellectibilis forma; que priuatione prorsus carens, tota sit vita intellectibilis que formis plena. Earque omnes forme tum inter se, tum cum intellectu vnica maxime sunt & indiuidua: quippe que nil aliud sunt, quam intellectibilis ipsius intellectus essentia: praesertim vero cum vita que libet, que in seipsam conuertitur, indiuidua sit.

Ceterum tribus modis habere se possunt entia haec immaterialia. Aut enim ab omni materia quoque separatae substantiae subsistunt, in seipsis penitus indiuidua: aut explicantur quodam modo, expanduntur, & conuertuntur ad materiam & corpus: aut inter haec mediae sunt, indiuiduae in se, explicatarum tamen determinatrices. Hinc triplex intellectus existit. Primus separatus, qui actu semper est, perfectus, semper intelligens, primoque gradu res omnes intellectibiles. Alter participatus ab anima, qui animalis propterea vocatur, quod animae virtus sit. Is actus quidem est, & res omnes

intellectibiles; sed secundo gradu. Quoniam propter cognationem cum anima & inclinationem ad materiam corpusque diuiduum, tum ab vnitate essentiae atque actionis impartibilitate cecidit: tum intellectibiles forme, que sunt in ipso, obseuatae quodammodo fuerunt. Quocirca vt intelligat, intellectu indiget illo primo: tum vt ad intellectiorem penitus indiuiduam reuocetur: tum vt intellectibilia, que sunt in ipso, a praefulgidis intellectibus separatis ac sinceris primi illius intellectus illustrentur perfectaue intellectibilia fiant. Quam ob causam Aristoteles primum illum intellectum Solis lumini comparauit agentemque intellectum nominauit. Animalis autem hic noster patibilis seu patiens dicitur, quod ab illo primo perfectiatur. Tamen si improprie & per similitudinem passio vocatur: siquidem is actione potius a seipso circa intellectibilia deprompta, quam passione ab alio illata, perfectitur. Vt enim in inclinatione ad corpora casus ab intellectu contingit; sic in perspicua ad seipsum reuersione atque ad primum & sincerum illum conuersione perfectio intellectus nostri tota consistit. Propterea potestate interdum est, interdum actu; per sepe imperfectus, aliis perfectus. Nec tamen ab externis rebus perfectitur vt sensus; sed a seipso potius incipit, & que sunt cognoscenda producit ac res ipsas inuenit, dum semetipsum ingreditur; atque ad superiorem intellectum conuertitur. Hinc anima mobilis definitur. Quia tum ad ignorationem fertur, quatenus ad deterius, hoc est ad corpus & materiam inclinatur: tum scientia perfectitur, quatenus ad superius, id est ad intellectum conuertitur. Ita quandoque imperfecta est, quandoque perfecta. Imperfecta dum ignorat: diciturque potestate esse, quia cognoscendi vim habet. Dum autem scit, iudicatur perfecta; tum in actu primo, si habitum scientiae habeat, nec eo tamen vtatur; tum actu secundo, si actum illius promat. Quare cum primus intellectus idem semper sit actu & perfectus: animalis hic noster existit triplex; potestate, habitu, & actu. Ille simplicem & eundem semper intelligendi modum habet, quo insitas sibi formas inspicit, & per eas tum seipsum intelligit, tum cetera tanquam effecta per suas causas. Hic autem noster duplicem. Alterum simul cum sensu & phantasia progredientem ad exteriora. Alterum sibi proprium, quo solus ipse sincere vtens ratione, atque in seipsum rediens & ad superiorem intellectum conuersus formas contemplantur suas: nec seipsum modo cognoscit, sed immaterialia quoque cetera & materialia. Immaterialia quidem, tanquam suis rationibus similia & coniugata. Materialia vero, vt ex eausa cognoscens effecta, que causa similia sunt.

Porro primum illum intellectum agentem separatam esse neque anime virtutem: duobus modis visus est confirmare Theophrastus. Primum quia vt per inclinationem & progressionem ad corpus intellectus alter, qui est noster, imperfectus efficitur & potestate; sic fieret ille, si anima virtus esset, que actus existit corporis. Si igitur perfectus semper & actu est, ab omni corpore & anima separatus plane subsistit. Deinde quoniam qui geminam hanc duplicis intellectus agentis & patiensis essentiam in nobis cogitet, geminasque virtutes & actiones; si ea omnino disiunctae sint, profecto vnum animal multum.

Agentis intellectum virtutem animam non esse.

NNNN